



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Gordius Martyr. 3. Ianuarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

num ageret centesimum, & documento sanè fuit mortalibus, frugalitate & vitæ religiosæ asperitate non minui annos, sed crescere. *Ex vit. PP.*

*Qua segnities est, capi ineptis cogitationibus, cum Dominum deprecaris, quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quam quòd cum Deo loquaris: Quomodo te audiri à Deo postulas, cum te ipse non audis? S. Cyprian. de Orat. Dom.*

S. GORDIUS MARTYR. 3. Ianuarii.

**P**otuisses olim eremum campum dicere Martium, unde illi prodirent, qui bella orbi, qui tyrannis moverent. Ita GORDIVS etiam noster è nobili militum tribuno Christi tiro, ubi sat diu in antro ad eremi leges exercuisse velut ad palum se, & piæ militiæ satis prælusisse jam visus sibi est; progressus demum festo die in medium theatri, fassusque CHRISTI se militem, corpus frustatim concidendum carnifici obrulit: id unū exoptans, plures animas habere, ut plures per mortes Duci Deo invictum se probaret. Scilicet ad insolitum hoc spectaculum exclamârunt Christiani pariter, & hostes horum. Et obstupere hi, quòd unius hominis virtus totum theatrum impleret. At illi Deo, GORDIO, sibi que gratulati sunt, cum viderent tot inter certantes quadrigas longè omnes equos ad palmam præcurrere Christianū, jamque hunc unum illo die ex merito coronandum animo perciperent. Interea GORDIVS monentibus amicis, qui servatum cupiebant, ore CHRISTVM suum tantisper proscriberet, animo coleret; *ita ne verò, ajebat, omnem militibus aditum ad calos præcluditis? Me quidem Longinos & Cornelios juvat emulari. Christum vobis coram si negem, calo coram ille negabit.*

Hæc